DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. MENS. JULII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HENRICUS WESKAMP

IBBENBUERENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. ROHR, MED. ET CHIR. DR.
J. HELLER, MED. ET CHIR. CAND.
E. LENTZMANN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRO

SUMME VENERABILI

DOMINO **L. B.** DE **DROSTE**

EX VISCHERING, EPISCOPO MONASTERIENSI, S. THEOLOGIAE DOCTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBR. IN CLASSE SECUNDA EQUITI ETC.

NEC NON

VIRO

SUMME VENERABILI

DOMINO **BRINKMANN**

PRAEPOSITO ECCLESIAE ST. HEDWIGIS BEROLINENSIS, DELEGATO EPISCOPALI VRATISLAVIENSI AC CANONICO CAPITULARI

FAUTORIBUS OPTIME DE SE MERITIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Chlorosin jam veteres, ut Hippocrates[1]) Galenus[2]) Paulus Aegineta[3]) et alii cognoverunt; nam in iis, quae de obstructionibus viscerum tradiderunt, eam commemorant, non autem morbum quendam substantivum et sui generis agnoscunt. Hinc factum est, ut huic morbo, quem aliorum morborum tantum symptoma, ut effectum mensium retardatorum, irregularium vel suppressorum, existimabant, peculiare nomen non dederint, in quibus causa est, quod in scriptis eorum chlorosis non occurrit. Apud majores nostros, ob morum integritatem, vitam simplicem et laboriosam hujus morbi frequentia minor, quam nostro tempore, fuisse videtur. Chlorosis sexui tantum muliebri, eique pubescenti propria, raro pubertatem nactas afficit. Nonnulli quidem medici contendunt, et juvenes nostro morbo infestari[4]), et praecipue aetate pubescente cachexiam oriri, quae nullo modo a chlorosi differat. Hunc vero pallorem juvenum pubescentium non minus, quam illum infantum, a colluvie mucosa et verminosa aliisque causis originem ducere, et chlorosin sui generis esse morbum vir-

---

1) Hippocratis aphorism. libr. IV. pag. 40.
2) Galenus, de causa symptomatum.
3) Paul. Aeginet. de re medica lib. 1. cap. 1.
4) Stoll rat. med. T. V. p. 330.

ginum, propria insignem decoloratione et cum functione genitalium anomála [1]) intimum alere nexum, infra ostendemus.

§. 1.

Huic morbo varia variis temporibus indita sunt nomina: ut morbus pallidus, icterus albus, morbus virgineus, cachexia virginea, cachexia virginitatis, febris amatoria, Gallis: la pâle maladie, Germanis: Bleichsucht, Jungfernkrankheit; usitatissimum vero nomen est Chlorosis, a vocabulo graeco „χλωρος" derivatum, ex pallido-subviridem significans colorem.

§. 2. SYMPTOMATOLOGIA.

Cutis decoloratio maxime in conspectum venit; colore enim tingitur cutis albo pallescente, vel flavescente, et, si morbus ad majorem gradum evehitur, subvirescente; facies prae ceteris est tumida, pallida, subflava, livida; palpebrae inferiores mox coeruleum induunt colorem, maxima cutis immutatio circa labia et in genis est, quarum pallor cum rubore saepe alternat. Tunica oculorum albuginea sordida, interdum subflava apparet; glandula lacrymalis et lingua pallidae. Praeter hanc decolorationem cutis invenimus laxitatem omnisque turgoris defectum, digito pressa cutis foveam non relinquit. Morbo summum fastigium adepto, genae laxae, demissae, sub palpebris pensiles

---

1) Jörg Krankheiten der Weiber 207.

apparent. Plerumque cutis functio propter ejus torporem laesa, perspiratio minuta aut suppressa, interdum nimis aucta et sudores copiosi; tota cutis superficies tumida, ejus temperatura imminuta, oedemata pedum etc. se ostendunt et toto corpore hydrops anasarca potitur, quo ipso tempore urina est jumentosa, pituitosa, pallida et parca, quae signa, conjuncta cum oedematibus pedum, manuum et palpebrarum, hydropem anasarca totius corporis certissime comprobant. Musculorum irritabilitas imminuta et prostrata est, omni carent vi elastica et quemque levissimum motum recusant, ita, ut, si aegrotae paululum vires intendere jubentur, subito maxima subsequatur defatigatio, tremor artuum, palpitatio cordis, dyspnoea, orthopnoea et animi deliquium. Quare memoratu dignum est, puellas chloroticas firmo constantique animo pigritiam sibi propriam non solum superare, sed etiam continuos musculorum motus, imo salutares, instituere et sustinere posse. Medici enim experientissimi tales puellas chloroticas, quae levissimo quovis motu summa defatigatione, cordis palpitatione, dyspnoea etc. corriperentur, tamen per horam et quod excurrit, sine ullo damno saltationem, cujus amantissimae erant, saepe tulisse[1]) referunt. Plerumque ad quodvis opus perficiendum segnes et tardae inveniuntur. Praeterea per diem paene insuperabilis dormiendi iis est cupiditas, per noctem turbulentus et non recreans somnus. Pleraeque tristitia et moerore afflictae, sollicitudinem amant hominumque so-

---

1) Richter's Specielle Therapie III. Bd. p. 590.
Brandis Erfahrungen über die Wirkungen der Eisenmittel.
Fleisch und Schneider über die Krankheiten des mannbaren Alters. Bd. I. p. 222.

cietatem fugiunt et qualibet re minima ad copiosam lacrymationem facile compelluntur, quin causam indicare possint; animi tristitia eo usque crescere potest, ut summo vitae taedio afficiantur. Neque etiam raro affectionibus hystericis, spasmodicis, convulsionibus, epilepsia, camentia, vexantur. Aliae veneris desiderio captae, cogitationibus huc spectantibus delectantur et libros de amore fatisque amantium libentissime legunt et onaniae deditae sunt[1]), aliae venerem maxime perhorrescunt. Pulsus aegrotarum variat; est enim debilis, parvus, mollis, modo lentus ac rarus, facile comprimendus, modo celer, frequens et febrilis, qua de pulsus varietate infra, ubi de morbi. differentiis acturi sumus, sermonem faciemus. Quod ciborum appetentiam attinet, initio morbi bona est, sed progrediente mutatur, modo admodum aucta, bulimus, modo imminuta, dysorexia, modo plane nulla, anorexia; interdum de ructu acido sensuque gravitatis in regione praecordiorum, praecipue post coenam sumptam, conqueruntur; nonnunquam ciborum appetentia morbosa reperitur, pica, malacia, ita, ut aegrotae cineres, cretam, terram aliasque res ineptas, (ego ipse enim Halis Saxonum puellam chloroticam magno cum desiderio arenam edentem vidi), devorare soleant, unde cardialgia, flatulentia, nausea, vomituritio, vomitus, diarhoea oriuntur; lingua saepe muco albo obducta, sapor varius, amarus, acidus, foetidus; alvus pro digestionis turbatione variat, modo reperitur obstructa, modo diarrhoeae aquosae, mucosae, viribus aegrotae infestissimae. Si functiones genitalium respicis, menstruus fluxus quan-

---

1) Joseph Ritter von Vering Heilart der Scrofelkrankheit. Wien 1829. p. 138.

titate et qualitate alienatus et irregularis est, modo parcissimus, modo omnino deficiens (amenorrhoea), modo plane suppressus, unde cephalalgia, congestiones ad caput, vertigo, epistaxis, haemoptysis, inflammationes etc. oriri possunt, modo, quod rarum est, copiosior, vires aegrotae deterens; Sanguis menstruus decolor, aquosus, loturae, carnis similis, mucosus, saepissime fluor albus, qui difficulter sanatur, accedit, aegrotam admodum vexat et debilitat.

§. 3. DIFFERENTIAE MORBI.

Distingui chlorosis potest primaria et secundaria, erethisthica et torpida, simplex et complicata.

a) Chlorosis primaria efficitur debilitate totius organismi, organis digestioni inservientibus adeo debilitatis, ut sanguificatio et chylificatio male procedant, quo fit, ut organismus ob laesam reproductionem debilitatus, nullum commercium cum utero ineat, aut si quod jam cum eo iniit, commercium intimum cum hoc sustinere et tributa, ut ita dicam, solvere nequeat, id est, sanguinis secretionem praestare non valeat. Qua ex causa menses aut nulli apparent, aut si nimis mature intrarunt, fluxus menstruus parcus et irregularis ceteraque Chloroseos symptomata prodeunt. Puellae igitur corpus nondum maturum est, quamquam psychicae functiones maturitatem ante tempus debitum nactae sunt.

b) Chlorosis secundaria oritur, si morbi puellam eo usque omnino sanam, pubescentem et regulariter menstruatam adoriuntur, reproductionem turbant, debilitant et hoc modo disharmoniam inter uterum et or-

ganismum provocant, qua efficitur, ut uteri vis vitalis et vigor evanescant, fluxus menstruus non revertatur et pallor chloroticus ceteraque morbi symptomata in conspectum veniant. Altera morbi distributio secundum characterem dynamicum, quod ad therapiam attinet, multo majoris est momenti.

a) Chlorosis erethisticae imaginem fingunt: tenera corposis textura, magna irritabilitas, faciei color mutabilis, rubore cum colore alternante; animi affectus, corporis motus, cibi conditi et potus spirituosi orgasmum sanguinis, vertiginem, congestiones ad caput et pectus, cephalalgiam, anxietatem, cordis palpitationem etc. efficiunt; pulsus est celer, frequens, interdum duriusculus; affectiones hystericae, spasmi omnis generis, sensus valde exaltati, erethismus nervorum et vasorum.

b) Chlorosis torpida cognoscitur: habitu corporis phlegmatico, cute laxo, corporis temperatura minuta, extremitatibus frigidis, pallore funereo, magna lassitudine, horripilationibus; pulsu debili, parvo et aegrota quiescente, tardo; anorexia, digestionis debilitate, lingua muco albo obducta, statu pituitoso, blennorrhoeis pulmonum, intestinorum fluore albo; appetitu ciborum nullo, aut perverso, secretionibus omnibus perturbatis, receptivitate exigua, animi depressione, sensuum hebetudine, moerore et tristitia, hydrope anasarca partiali, et quae sunt alia symptomata.

Chlorosis est simplex, si nulla symptomata alius cujusdam morbi observantur; complicata esse potest cum morbis varii generis. Huc praecipue pertinent: obstructio glandularum mesaraicarum, physconiae hepatis, lienis, tubercula variis corporis organis exorta, phthisis pulmonum, vitia uteri, ut atrophia, induratio, scirrhus, atresia.

§. 4. CADAVERUM SECTIONES.

Sectio interdum nihil, quod alicujus momenti sit, ostendit, interdum vero in pectore aqua, fluidum lymphaticum, pulmones degenerati, cor majus, laxum, valvulae cordis induratae et deformes, hydrops pericardii, sanguis valde aquosus, inveniuntur. In abdominis cavo fluidum aquosum, hepar pallidum, glandulae mesaraicae induratae, degeneratae, uterus atrophicus, induratus, portio vaginalis indurata, concreta, ovaria majora vel minora, admodum flaccida, reperta sunt.

§. 5. AETIOLOGIA.

Nullo fere alio in morbo medici veram morbi naturam perscrutantes magis, quam in chlorosi, erraverunt, propterea, quod physiologiae corporis muliebris cum virginei, tum gravidi minorem navabant operam. Nam plurimi medici putavere, et nostro tempore nonnulli putant, morbi proximam causam in nulla alia re cerni, quam in mensium suppressione, vel retentione, qua perversa opinione seducti, remediis quae pellentia vocantur, ad fluxum menstruum, aut retentum, aut suppressum, restituendum vel frustra, vel aegrotantium damno, usi sunt. [1])

Sed antequam de causa proxima, vel quod idem est, de natura morbi loquar, causas remotas, e quibus chlorosis originem trahit, quae distingui possunt in praedisponentes, et occasionales, singulas perscrutari liceat.

---

1) Horns Archiv Bd. V. p. 67, §. 6.

§. 6. CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Praedispositio hujus morbi est duplex; congenita, vel vitae genere acquisita, et secundum characterem dynamicum vel erethistica, vel torpida.

Praedispositio hereditaria erethistica apparet, si cutis tenera, laxa, albicans, genae et labia rosaceo induta colore; capilli tenues, molles, iris coerulea, habitus tener, gracilis; pulsus justo frequentior, parvus et mollis, animus ad pathemata quam maxime pronus, magnus omnium sensuum erethismus, frequens cordis palpitatio, congestiones ad caput, vertigo, et alia locum habent. Praedispositio torpida cognoscitur: statu torpido systematis nervosi et vasculosi, praesertim abdominis, pulsu parvo, molli, magis tardo; habitu pastoso, leucophlegmatico, statu pituitoso, blennnorrhoeis et aliis symptomatibus supra jam descriptis, ut digestione imbecilla, receptivitate exili, corporis temperatura imminuta, animi depressione et tristitia. Haec dispositio, sive diathesis chlorotica morbum ipsum facile provocat et ad majorem gradum evehit.

Praedispositionem vitae genere acquisitam procreant: educatio puellarum delicatior, et physica et psychica ratione perversa, vita sedentaria, domicilia humida, aëre corrupto impleta, rarior corporis exercitatio in aëre puro, pabulo vitae a veteribus nominato; alimenta tenuiora, vilia ac digestu difficilia, ex vegetabilibus, ut farinacea, legumina aliaque, quantitate et qualitate nocentia; nec minus inferunt puellis detrimentum potulentorum abusus, prae ceteris spirituosorum et tepidorum, ut infusa fabarum coffeae arabicae et foliorum theae.

§. 7. CAUSAE OCCASIONALES.

Huc referenda sunt: animi affectus, inprimis pathemata deprimentia, ut tristitia, sollicitudo, vita laetitiae expers, spes prosperam vitae futurae conditionem promittens frustrata, matrimonii anxium desiderium; dein vehemens Veneris cupiditas, si non conceditur usus, coitus praecox et nimius, praecipue, si virgo aetatem validiorem et satis maturam nondum adepta est; onania [1]), saepissime fluore albo stipata; lectio fabularum Milesiarum, familiaritas praematura cum sexu virili, quibus rebus amor nimis maturus cupidinesque accenduntur et in corpus et in animum puellae infestissimam vim exserunt. Nonnulli quidem contendunt; veneris usu denegato chlorosin oriri posse, sed haud dubie in magnum inciderunt errorem eo, quod amorem physicum (Venerem) cum psychico, illo nobiliori, (amore plastico) confuderunt, qui quidem suppressus vel contemtus plurimum valet, ut historia satis multis probat exemplis, et maximi est momenti in chlorosi excitanda.

Majores denique animi et corporis contentiones et labores, celerius corporis incrementum, refrigeratio etc. maxime nocent, praecipue si pubertas imminet. Nec non somnus nimis brevis, vel justo longior; vestitus ineptus, cutis transpirationem minuens, corporis exercitium impediens, ut perniciosus ille usus angustorum thoracum linteorum, pectus comprimentium liberamque inspirationem coërcentium, huc referenda sunt. Postremo omnia, quae organismum citissime, vel

---

1) cons. Vering Heilart der Scrofelkrankheit. Wien 1829 p. 138.

sensim sensimque aetate pubescente debilitant; huc pertinent prae aliis morbis: febris nervosa, intermittens, praesertim quartana, helminthiasis, status pituitosus, blennorrhoeae, scrophulosis et rhachitidis sequelae, omnesque morbi cachectici, ut hydrops, scorbutus, plasticitatem sanguinis pessumdantes, atrophia infantum [1]) exanthemata chronica omnis generis; abortus haemorrhagiae, menses copiosiores, menostasia ex refrigerio, terrore orta et quae sunt aliae injuriae.

Hisce causis remotis addenda sunt vitia localia, ut uteri induratio, scirrhus, atrophia et atresia; uteri autem oris, vaginae, vel hymenis concretio, mensium quidem excretionem, cujusmodi casum ipse in nosocomio caritatis observavi, ubi magna sanguinis menstrui copia in utero, graviditatem simulante, propter os concretum accumulati et retenti, perforatione facta, profluxit, minime vero secretionem menstruam prohibere potest. Quibus peractis, varias a variis scriptoribus de causa morbi proxima, quae vero a morbo ipso distingui nequit, prolatas sententias enumerabimus, ut intelligas, quantopere eorum, qui hujus morbi naturam considerabant, opiniones differant.

§. 8. PROXIMA MORBI CAUSA.

Veteres in principii phlogistici defectu, in sanguine et sanguificationis processu anomalo et morboso naturam chloroseos posuerunt.

---

1) conf. Vering Heilart der Scrophelkrankheit. Wien 1829. pag. 38.

Rowleyus[1]) causam morbi proximam in sanguinis corruptela, quae retentione et accumulatione illius, quem uteri vasa secernere debeant, nec non sensibilitate minuta et cohaesionis solidarum partium vitio oriri videatur, collocandam esse persuasum habet. Cruorem sanguinis chlorotici, si cum lympha aut sero comparaverit, valde imminutum se invenisse, affirmat. **Stollius** causam proximam in laxitate et debilitate solidorum et fluidorum positam esse contendit. **Cullenius** amenorrhoeam culpat.

Darwin[2]) in hepatis vasorum resorbentium et secernentium torpore et mensium defectu causam proximam ponit. Alii in venere non concessa, alii in totius corperis cohaesione vitiata, qua tanta sanguinis copia ad uteri vasa compelli nequeat, quanta ad ea aperienda requiratur, naturam chloroseos consistere putavere.

Haase[3]) in torpore totius organismi, in systemate arterioso, praesertim abdominali, quo normalis congestio sanguinis ad uteri vasa propelli nequeat, causam proximam inveniri perhibet. **Harless** putat, morbum veram esse cachexiam systematis arteriosi et venosi, praecipue uteri et ovariorum, quae nitatur fibrina cruoreque sanguinis imminutis, sero vero adaucto.

Puchelt venositatem sanguinis imminutam culpandam censet. **Osiander** systema lymphaticum admodum debilitatum esse dicit, id quod praecipue in ventriculo, in intestinis, hepate et utero perspicuum sit,

---

1) Praktische Abhandlung über Frauenzimmerkrankheiten, aus dem Engl. übersetzt von Fr. **Michaelis**. p. 11.
2) Zoonomie Th. II., Abth. I., edit. Brandis. p. 138.
3) Ueber die Erkenntniss u. Cur der chron. Krankheiten. heiten. Bd. I. §. 153.

unde fiat ut chylificatio et sanguificatio primum turbentur et postremo omnino intercipiantur. Richter porro in debilitata et imperfecta organisatione causam proximam collocandam esse credit, dum organismus eam vitae et reproductionis vim, quae cum pubescentia necessario conjuncta esse debeat, nondum impendere possit et ipse ad sese firmandum principiis nutrientibus egeat. Secundum Consbruch proxima morbi causa nititur vitiosa mixtione sanguinis, cruoris minorem copiam continentis. Denique Sundelin putat, morbi naturam cachexiam esse sanguinis, quae nitatur minutis fibrina et cruore, principiis incitantibus et plasticis, vel sanguinis cruditate, quantitate non minuta. Si et morbi symptomata et causas accuratius perpendimus, morbi natura in sanguificationis et chylificationis processu vitioso consistere videtur, qui semper aetate pubescente eo magis, quo majorem vim nocivam causae occasionales exercuerunt, sed et hisce deficientibus, propria pubescentiae praedispotitione, diathesi chlorotica, cujus symptomata jam supra descripsimus, procreatur et fere semper cum debilitate assimilationis et nutritionis minutaque sanguinis plasticitate conjunctus est, paucis tantum casibus, de quibus in therapia sermonem faciam, exceptis.

Unde evenit, ut minor principiorum nutrientium copia gignatur, quibus organismus debilis ipse destituitur nihilque utero ad secernendum suppeditare possit, quam ob rem menstruus fluxus tam vario modo a norma recedit, cujus rei sola causa in nulla alia re, quam in assimilationis et nutritionis vitio, quaerenda esse videtur.

§. 9. DIAGNOSIS.

Non omnis puella pallida chlorosi laborat, sed morbi symptomatum syndrome existere debet, altera autem parte puella, quamvis genis rubris sit praedita florentique faciei colore gaudeat, incipiente tamen chlorosi leviorique morbi gradu affecta esse potest, qui status morbi, de quo in therapia plura referam, nonnullis medicis chlorosis florida nominatur. Si morbus majorem gradum obtinuit, symptomatibus supra descriptis et in hoc morbo aeque, ac in ictero viridi, ob oculos cadentibus, evidentissime cognoscitur. Ubi vero summum gradum nactus est, plura cum aliis morbis cachecticis, ut pallorem illum alienatum, digestionem turbatam, menstruationem anomalam etc., e. c. cum hydrope, cum atrophia, ictero viridi levioris gradus [1]), graviditate, primis mensibus nonnullis faciei colorem immutantibus, quia totius organismi vis vitalis ad uterum sese convertit, communia habet. Accurata vero symptomatum comparatio, signa singulis essentialia, morbi initium et decursus, chlorosin ab aliis morbis distinguunt.

§. 10. PROGNOSIS.

Chloreseos exitus pro morbi varia conditione, complicatione, gradu, varius habetur. Si morbus recens est, et leviorem gradum tenet, aut si puellas eo usque omnino sanas validaque constitutione praeditas, neque morbis praegressis debilitatas invadit, si breve tempus

1) Conf. Rohr diss. de ictero Berlin 1837. p. 24.

tantummodo viguit, haud nimis neglectus est et sine ulla complicatione apparet, nec in alios eosque graviores morbos abire molitur, spes laeta morbum sanandi medico arridet. Si vero causae nocentes, e quibus malum ortum est, difficulter removentur, si morbus inveteratus, vel aliis morbis complicatus est, vel aegra constitutione phthisica, imbecilli, vel causis praegressis debilitata est, non solum medico maximas sanandi difficultates, sed etiam aegrotae vitae periculum offert. Virgines, quae diu et majori chloroseos gradu laboraverunt, non raro per totam vitam steriles sunt, et, si revera conceperunt, abortum faciunt, vel imbecillam edunt prolem.

§. 11. THERAPIA.

Curatio prophylactica: Certissimum et optimum praesidium sine dubio in educatione bona cernitur, qua et animi et corporis vires bene excoluntur et omnia stimulantia, sive mechanica, sive chemica, sive dynamica, sive psychica, vitantur quae in systema genitale vim excitantem exserunt et cupidines et amorem praematurum provocant. Praeterea plurimum confert ad cavendum morbum, si quavis ratione organismum ad perfectionem evehere studemus omniaque quae contrarium efficiunt, evitamus.

Curationem therapeuticam dividimus in diaeteticam et pharmaceuticam, quarum haec sine illa nullum fert auxilium, diaetetica contra, apte instituta, non raro sola chlorosin sanavit, neque ullus sane est morbus, in quo sanando remedia diaetetica tantam efficaciam,

quam in chlorosi, praestant. Quae huc pertinent, fere haec sunt: ante omnia opus est, ut aegrota, si fieri potest, vitae sedentariae valedicat, exercitationes initio mediocres et ambulationes frequentiores et quotidianas non plane defatigantes serena tempestate sub aëre libero et puro, in regionibus serenis, amoenis et montanis, aëre purissimo et saluberimo insignibus, instituat, hortensibus similibusque occupetur operibus, quae plurimam conferunt ad tollendam atoniam et laxitatem musculorum et viscerum abdominalium. Providendum est, ut domicilium angustum, humidum, aëre impuro impletum, ampliori, sicco et puro mutetur, nec longius dormiat aegra, quam horas sex; nihil enim magis corpus laxat, quam tepor stragulorum, si somno largiori aegrota indulget; moratur enim in vaporum proprio e corpore exhalotorum balneo. Et jam Hippocrates*) dixit; „Longiores vero somni calefacientes colliquant carnem et corpus diffundendo resolvant et imbecillum reddunt".

Quod victum attinet, fruatur cibis nutrientibus, digestu facilioribus, animalibus, aromaticis, conditis, pro potu paululum excitante et roborante, cerevisia amara, bene fermentata, aliquoties per diem cyathus vini, praesertim post coenam, vel pauxillum vini generosi aqua mixti exhibeatur. In ea vero, quam erethisticam diximus, specie, cibus conditus et potus spirituosus cautissime adhibendi sunt, nisi erethismus iste antea medicamentis aptis imminutus sit. In torpida chlorosi minus facile illi nocent, imo potius necessarii sunt, ut digestio labefacta erigatur.

Evitandus est potus tepidus et relaxans, ut infusum theae viridis et coffeae nimis aquosum. Cavendum

*) de victus ratione libr. II. cap. 10.

est, ne vestimenta nimis sint calida, vel angusta, ita tamen constructa, ut refrigerationem avertant. A vitio onaniae, veneris usu praecoce, nec minus a lectione librorum de re amatoria amantiumque fatis agentium, absque omnibus, quibus ejus phanthasia excitari et sensibilitas augeri possit, puellam quamque chloroticam omnino abstinere debere, ut medicamina fructum ferant, per se patet. Onaniae vitium perniciosissimum cognoscendi et debellandi, maxima cura adhibeatur [1]) necesse est. Si animus aegrotae affectus et depressus est, remedia psychica utilitatem pollicentur. Animus igitur moerore et tristitia afflictus hilaritate recreari debet. Itaque colloquia suavia, hilarium hominum societas, musices delectamenta, parva itinera, in quibus animus objectorum vicissitudine et gratissima oblectetur hilaritate, feliciorem saepissime curationis eventum reddunt, quam omnia medicamina interna. Interdum autem aegrotam nihil omnium exhilarare potest, nam amor repressus et infelix sub cinere alit venas, quo in casu non aliud remedium quam matrimonium suadendum est. [2])

Quod ad curationem therapeuticam attinet, respicienda sunt: causae remotae, morbi character dynamicus complicationes, nutritionis universalis et virium labefactarum instauratio.

Causas remotas, quae summo cum studio explorandae et tollendae sunt, quod morbum procreatum alunt et augent, jam sub curatione diaetetica absolvimus.

Ne medicamenta magis obsint, quam prosint, opus est, ut, cum solius naturae sit, morbum sanare, omnia

1) Vering Heilart der Scrofelkrankh. Wien 1829. §. 186.
2) Le Blanc, ergo Venus amantium Ictero Paris 1616.

impedimenta ei obsistentia submoveantur, medicaminibusque aptis naturae succuratur.

Cum digestionis et assimilationis processus fere semper vitiosus et debilitatus deprehendatur indeque sanguificatio et nutritio labefactae sint, summam curam et diligentiam ad digestionem et assimilationem emendandam et restituendam adhibeamus, necesse est. Ad quod perficiendum opus est, ut secretionem intestinorum perversam corrigamus, materiam mucosam viscidam et verminosam medicaminibus evacuantibus expellamus. Si sapore oris amaro lingua muco subflavo obducta, nausea, gravitate praecordiorum etc. magis minusve status biliosus aut gastricus cognoscitur, neque congestiones ad caput et pectus, vel haemoptysis etc. adsunt, praecipue autem si morbus recens est, imprimis emeticum e Tartar. stibiato si alvus tarda est, ex ipecacuanha, si aegrota ad diarrhoeas vergit, vel eadem laborat, in usum vocandum est; id enim non solum tenacem ac viscidum mucum expellendo agit, sed vasis etiam cum resorbentibus tum secernentibus majorem quasi addit vitam totiusque abdominis functiones saepe mutat.[1]) Si acidum primarum viarum adest, absorbentia, ut magnesia carbonica, conch. praeparat. porrigenda sunt. Si e secretione intestinorum perversa colluvies orta mucosa et verminosa laxantia requirit, salibus mediis et ejusmodi debilitantibus et antiphlogisticis ea praeferenda sunt, quae propter principium resinosum et acre magis vim stimulantem et excitantem in tractum intestinorum exserunt, ut rheum, aloë, jalapa, senna. Calomelas vero ad obstructiones hepatis, pancreatis et glandularum mesaraicarum resolven-

---

1) Richter's Therapie Bd. III. p. 766.

das optimum remedium, in chlorosi, ut in omnibus morbis cachecticis, minus aptum mihi videtur, quippe quod assimilationis et nutritionis labem totiusque corporis laxitatem augeat. Ejus loco extracta resolventia: ut graminis, taraxaci, chelidonii, cicutae, cardui benedicti, cum gummi ammoniaco, in Aq. commun., spirituos., vel aromatica, soluta, porrigenda sunt. Si in chlorosi erethistica spasmi, affectiones hystericae et convulsiones, quae in epilepsiam transire possunt, oriuntur, antispasmodica: ut asa foetid. valerian. castor. mosch. hyoscyam. bellad. op. aq. lauroceras. in usum vocari debent, nisi infus. chamomillae et ejusmodi leviora sufficiant.

Medicamina, quae roborantia dicuntur, initio, praecipue in chlorosi erethistica, male feruntur, saepissime enim vomitu rejicuntur, aut cardialgiam, anxietatem, cordis palpitationem, congestiones ad caput et pectus efficiunt, unde encephalitis, pneumonia, si faustius res cedit, epistaxis, haemoptysis, haemorrhagia pulmonum, oriri possunt. Ad quem erethismum tollendum acida mineralia, ut acid. phosphoric. muriatic. Elix. acid. Haller. Elix vitriol. Mynsicht. aqua diluta, vel aq. menth. pip. crisp. meliss. cinnamom. quod ad minorem erethismi gradum, in usum trahenda sunt. Joerg [1]) acida mineralia rejicit, quod digestionem debilem magis perdant, et pro iis Aq. foeniculi, cinnamom. valerianam. etc. cum liq c. c. succinat. et, si ventriculi sensibilitas permagna est, cum aliquot gutt. Tinct. op. in usum vocat, quibus remediis vomitum semper se prohibuisse et viam ad roborantia sibi aperuisse, affirmat.

---

1) Krankheiten des Weibes. Leipzig 1831. p. 218.

Interdum vero sunt puellae, quae, etsi firma corporis statura, pubertatem debito tempore nactae, florente faciei colore praeditae, pulsu magno, pleno et duro, receptivitate magna et reproductione perfecta gaudent, tamen nondum menstruatae sint, et de fervore, capitis dolore, vertigine, anxietate pectoris, palpitatione cordis et magna lassitudine, praecipue post aliquem corporis motum, turbulentis et gravibus somniis, frequentioribus dorsi et coccygis doloribus queruntur, neo raro epistaxi, haemaptysi cum levamine tentantur.

Qui in hoc morbi casu pellentia, ut sabinam etc. adhibet, certe damnum affert[1]) quod in hoc statu sthenico congestiones sanguinis ad organa nobiliora periculosas inducet. Hic aptiora sunt salia media refrigerantia, ut tartar. dep. kali nitric. pulpa aut fructus tamarind., manna; pediluvia tepida, hirudines ad peritonaeum applicatae, majori autem hyperstheniae gradu venaesectio et diaeta magis antiphlogistica, quam excitans, bonum eventum praebent. Si vitia genitalium exploratione diligenter instituta, ut atresia hymenis, vaginae et uteri oris deteguntur, operatione sunt removenda.

Alia rei est ratio in chlorosi torpida, etenim ob magnum torporem jam ab exordio medicamina stimulantia et roborantia melius feruntur. Huc pertinent Herb. et extract. card. benedict. trifol. fibrin. fumar. absinth. rad. gent. calam. aromatic. caryophyllat. etc.; at leniter roborantilius digestuque facilioribus incipiendum, et sensim sensimque ad efficaciora, ut cort. quassiae chin. etc. transeundum est. Quibus remediis si

1) Conf. Horn's Archiv. Bd. V. p. 70.

digestio emendata et firmata est, ad ferrum, istud celeberrimum chloroseos remedium, gradus faciendus est, cui in hoc morbo nonnulli medici specificam vim adscripserunt. Scripsit enim van Schwieten[1]): „per ferrum ingestum et coporis exercitia augeatur in hac puella vis firmarum partium, in fluida contenta, incipit tumens subsidere facies, amoeno roseo colore genae et labia perfunduntur, redit debitus vigor toti corpori." Opus autem est, ut cautissime id in usum vocemus, ejusque efficaciam diligentissime observemus. Nonnullae enim puellae ne minimam quidem dosin ferunt, oritur fervor, congestiones ad cerebrum et pulmones periculosae.[2]) Si digestio nimis debilis est, nec satis aptis medicaminibus firmata, ferri usus oppressiones, nauseam, vomitum, cardialgiam efficit. Efficacissimum ferri praeparatum est ferrum subtilissime pulveratum, quod cum pulvere cortic. cinnamom. vel aurantior. etc. conjunctum, initio gr. ij p. d. exhiberi potest. Sed a levioribus ejus praeparatis ordiendum est, ut tinct. ferr. pomat. acetic. aetherea, muriatic. ammonio muriatic. martiat., quoniam haec initio melius feruntur.

Nec non gummata ferulacea cum fructu adhiberi solent, quae, ut praecipue galbanum et asa foetida, propter principium aethereum peculiarem vim exserunt in tractum intestinorum inferiorem et systema sexuale.

Quibus medicaminibus internis ad morbum sanandum exhibitis, non praetermittenda sunt balnea, prosperrimo cum eventu instituenda, primum tepida, dein sensim sensimque frigida cum herbis aromaticis, vel ferro granulato parata. Si aegrota sumtus ferre pot-

---

1) l. c. §. 25.

2) Conf. Horn's Archiv. Bd. V. p. 91.

est, naturalia artificialibus praeferenda sunt, quia gas carbonicum, quod continent, praesertim autem aër purissimus, objectorum vicissitudo, societates hominum jucundissimae, in animum et corpus aegrotae saluberrimam vim exserunt. Hujusmodi balnea sunt: Pyrmontanum, Spaanum, Driburgense, Schwalbacense. Nec non unctiones abdominis de linimentis volatilibus, e spiritu camphorae cum naptha, ex althaea cum camphora, cataplasmata aromatica etc. utilia se ostendunt.

Vires denique electricitatis et magnetismi in sananda chlorosi permulta praestitisse, nonnulli affirmant.[1])

Quod denique complicationes chlorosis cum aliis morbis attinet, medicamina ad eorum naturam respondentia cum iis, quae in sananda chlorosi adhibentur, conjungenda sunt. In hydrope, qui saepe ad chlorosin accedit, diuretica leviora, ut baccae juniperi, rad. ononid. spinos., minime vehementiora, vomitum efficientia, adjungi debent. Si vero morbi per suam naturam insanabiles, ut phthisis pulmonum tuberculosa cum chlorosi complicati sunt, medico nihil superest, quam ut miserae aegrotae malum sublevet et vitam, quousque potest, elonget.

---

1) Conf. Bertholon über die Anwendung und Wirkung der Electricität. Th. II. p. 74.

Heineken, Ideen und Beobachtungen des thierischen Magnetismus betreffend.

VITA.

Ego *Henricus Weskamp*, ecclesiae catholicae addictus, Ibbenbuerae Guestphaliae oppido, anno MDCCCIX natus sum, patre *Henrico*, matre *Sophia*, e gente *Klemann*, quibus adhuc vivis gaudeo. Absoluto in gymnasio Monasteriensi, sub auspiciis Cel. *Nadermann*, cursu scholastico, testimonio maturitatis instructus, autumno anni MDCCCXXXI. civibus academiae Monasterii florentis adscriptus, per quinque semestria scholas, quae ibi habentur de rebus philosophicis et medico-chirurgicis, frequentavi: Ill. *Esser*, de psychologia et logice, Ill. *Roling* de physice et astrognosia, Ill. *Bodde* de chemia, Cel. *Becks* de botanice et zoologia audivi, Cel. *Tourtual* in anatomia et generali et speciali, nec non in arte cadavera rite secandi ducem habui. Cel. *Heindorf* physiologiam, Ill. *Wirtensohn*

materiam medicam, Ill. *Busch* pathologiam et generalem et specialem, Ill. *Klatten* chirurgiam generalem et specialem, Ill. *Kloeverkorn* artem obstetriciam theoreticam me docuerunt. Praeterea scholae clinicae medico chirurgicae, quam Ill. *Pellengar* et Ill. *Tourtual* moderantur, unum per semestre interfui. Autumno anni MDCCCXXXIII. academiam Fridericianam Halensem petii et ab Ill. *Pernice* t. t. Prorectore Magnifico, in civium academicorum numerum, ab Ill. *Dzondi*, t. t. Decano, inter medicinae studiosos receptus per tres annos hisce praelectionibus interfui:

Ill. *Moser* de anatomia speciali arteque cadavera rite secandi, Ill. *Nitzsch* de zoologia, Ill. *Germar* de mineralogia, Ill. *de Schlechtendahl* de botanice Ill. *Schweiger* — *Seidel* de chemia arteque formulas conscribendi, Ill. *Schweiger* de physice, Ill. *Blasius* de chirurgia speciali et arte fascias applicandi nec non de akiurgia, Ill. *d'Alton* de anatomia speciali, Ill. *Niemeyer* de arte obstetricia disserentes audivi.

Scholis clinicis medicis Ill. *Krukenberg* tria per semestria, ophthalmiatrico-chirurgicis Ill. *Blasius* duos per annos, obstetriciis Ill. *Niemeyer* tria

per semestria, praxin faciens interfui. Mense Octobri anni MDCCCXXXVI. almam Berolinensem Musarum sedem petii et ab Ill. *Busch* rectore Magnifico civibus academicis adscriptus, ab Ill. *Wagner* Decano maxime spectabili in Album medicorum inscriptus hasce frequentavi scholas clinicas: chirurgicas Ill. *Rust* et Cel. *Dieffenbach*, opthalmiatricas nec non praelectiones de morbis oculorum Ill. *Jüngken* unum per semestre; medicas partim practicando partim auscultando Cel. *Wolff*, Cel. *Barez* duo per semestria.

Quibus omnibus viris maxime venerandis maximeque de me meritis, summas, quas possum habeo semperque habebo gratias.

Jam tentaminibus, et philosophico et medicis nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Quo frequentior et debilior in morbis acutis pulsus, eo pejor prognosis auguranda.*

2. *Scrophulosis et rhachitis maxime inter se differunt.*

3. *Signum graviditatis gravissimum auscultatione percipitur.*

4. *Calor animalis non sola respiratione nascitur.*

5. *Ad morbos pectoris accurate discernendos auscultatione carere non possumus.*

6. *Febris hectica amputationem non vetat.*